



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

Beatam Virginem esse Coeli portam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

## FOELIX COELI PORTA.

*Beatam virginem esse coeli  
portam.*

## CONSIDERATIO.

**N**OMEN Portæ proprie loquendo, introitum illum significat, per quem homines domus suas, aut alia corporea loca ingrediuntur. At per Metaphoram transferri potest ad illum ingressum, per quem ad spiritualia introimus. Iesus Christus de se ait: *Ego sum ostium per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur & egredietur & pascua inueniet.* Beatissima etiam virgo MARIAM coeli porta nominatur, eò quod per eam Verbum Diuinum in terras descenderit.

*Ioan. 10.*

*B. virgo*

*Maria quo*

*modo sit coeli*

*porta.*

Hoc verbum Deus iã inde à mundi exordio promiserat: hoc antiqui patres crebris & ardentibus suspirijs desiderauerant, cum clamarent: *Rorate coeli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra.*

*Isai. 45.*

*& germinet Salvatore[m].* Neque tamen his clamoribus excitum veniebat, sed in coelesti habitaculo se continebat.

Hoc Patriarcha Iacob in somnis vidit scalæ, cuius cacumen ad cœlū pertingebat, fastigio inniti, per quā Angeli ascendebant & descendebant, at illud non demigrabat à loco suo. Causa erat, quia quamvis scala hæc ad descendendum accommodata esset, attamen porta per quam mundum intrare debebat nõdum fuerat præparata. Veniebat namque ut Sathanæ ac satellitum eius superbiam deprimeret, & humano generi misericordiam faceret: necessarium erat igitur ut per humilitatis & misericordiæ portam ingrederetur.

*Christus  
per humili-  
tatis ianu-  
am mundū  
ingressus  
est.*

*1. Reg. 17.*

Cum David contra Goliath gigantem in singulare certamen descensus esset, Saul eum armis suis induit: at David cum propter armorum pondus atque insuetudinē arma regia non satis commodè tractare posset, illis abiectis, pastorali

*tan-*

tantum apparatu se ad bellum instruxit: quo præfiguravit IESVM Christum verum Dauidem, quando ad proelium cum infernali Goliath ineundum descenderet, per humilitatis portam ad locum proelij ingressurum humilitatis armis ipsum debellaturum esse.

Quæ autem, Anima Christiana, fuit illa humilitatis porta, nisi beatissima virgo M A R I A ? Angelus Gabriel à Deo illam salutabat matremque Dei mox futuram esse nunciabat: at illa pro ancillarum infima se obtulit. S. Elizabetha multis eam præconijs extollebat, & benedictâ super omnes mulieres affirmabat, sed illa in Dei laudes se totam effudit & ait: *Magnificat anima mea Dominum: Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancille sue.* Illa est itaque foelix coeli porta, quæ sua humilitate filium Dei vt de coelis in terram descenderet, allexit & inuitavit. Magna sanè virtus eius & sanctimonia fuit, magna puritas & virginitas

B. virgo  
militis  
porta.  
Luc. 1.

Salomon  
de virtute  
non de tenuitate  
hoc  
intelligendum  
prebat.

cas

*S. Bern. ser.  
1. sup. missus*

tas: at hæc omnia (vti verè cum S. Bernardo dicere possum) DEO minimè placuissent, nisi tam insigni humilitate decorarentur & fulcirentur. O sancta humilitas, pulchritudo tua singularis est: quandoquidem specie tua authorè totius pulchritudinis ad te attraxisti: potentia tua fortis est, siquidem potentissimum fortissimumque ad summam humilitatem & infirmitatem deiecisti.

*Gen. 8.  
B. virgo  
porta misericordie.*

Neque tantum Beatissima virgo fuit porta humilis, sed etiam misericors. In libro Geneseos legimus Noe columbam emisisse, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ, illamque cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, ad eum in arcam reuersam esse: eandem cum secundo à se dimisisset, ad vesperam rediisse, atque in ore suo ramum oliuæ virentibus folijs detulisse: ex quo Noe intellexit aquas imminutas esse. Hæc plena sunt mysterijs: ex quibus hoc tantum delibasse sufficiet. DEVS Pater filium

Filius suum vnigenitum de coelis mittere desiderabat: quo humano generi afflicto misericordiam praestaret. Filiusque idem maximo opere cupiebat, sed oliua super aquas diluuij nondum extabat, nondum conspicua erat. Oliua Hieroglyphicum & indicium est misericordiae. Quae erat autem haec oliua? Vtique non alia, quam beatissima virgo Maria: quae posteaquam apparuit, Dei filius columba candidissima & innocentissima in ea requieuit, & ex ea ramum viridem suae humanitatis decerpit, vt eam Deo Patri suo in caelesti arca in signum misericordiae praesentaret. Hoc beata virgo de seipsa testatur per Prophetam dicens: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Haec est igitur o fidelis anima: haec inquam est illa Porta per quam Dei filius in mundum ingressus est, vt diu exoptatam clementiam cum ea faceret.

B. virgo  
Maria, oli-  
ua,

Psalm. 36

Vixerant quidem plures sanctae mulieres, & castae virgines in  
popu-

populo Israel: at earum nulla digna  
habita fuit, quæ Dei filium in mun-  
dum venientem exciperet. Præro-  
gatiua hæc B. Virgini M A R I A E  
debeatur, utpote quæ sola hoc præ-  
cæteris mereretur, & cui aliarum  
nulla comparari posset. Quod sacræ  
literæ confirmant, quando aiunt:  
*Multa filia congregauerunt diuitias:*  
*tu supergressa es vniuersas.* vbi ser-  
mo non est de extrinsecis & cadu-  
cis opibus, sed de intrinsecis; cuius  
generis sunt virtutes, & dona cœ-  
lestia. Quantis ergo titulis obligati  
sumus nos gratos exhibere huic sa-  
cratissimæ virgini, quando quidem  
humilitate sua, & pia mentis deuo-  
tione Verbum diuinum vnicum Dei  
Patris filium inuitauit, ut carnem  
assumeret atque humanum genus à  
durissima, qua tot sæculis premeba-  
tur seruitute in libertatem affere-  
ret? Profectò nunquam satis cog-  
noscere, ne dicam officijs dignis re-  
mereri possumus tantam obligati-  
onem. Quapropter ei semper meri-  
tas gratiarum actiones ex toto cor-  
de

*Prov. 31.*

*Quantum  
obligati si-  
mus.*

*B. Virgini.*

de persolvere, atque illam quibus  
possumus obsequiis colere, hono-  
rare, ac ministerio illius nos totos  
consecrare debemus.

Atque ut seruitia nostra illi grata  
sint, & I E S U S Christus nobis mise-  
ricordiam faciat, nosque sublimet,  
nos etiam proximis misericordiae  
& benignitatis officia impēdamus,

atque humilitatem animique sub-  
missionem ad Beatæ virginis exem-  
plum præcipuè colamus. Ille namque

dixit: *Qui se exaltat, humiliabitur, &*

*qui se humiliat, exaltabitur.* Idem  
Beatissima virgo M A R I A in canti-  
co suo affirmat, cum ait: *Deposuit po-*

*tentes de sede, & exaltauit humiles.*

Exempla quæ hoc confirmare pos-  
sent satis nota atque omnibus testa-  
ta sunt, tum ea quæ in veteri & no-  
uo testamento euenerunt, tum ea  
quæ historiis partim sacris partim  
prophanis continentur, tum ea quæ  
in oculos nostros quotidie incur-  
runt. Necessarium est igitur ut in  
præsenti vita nos humiliemus, si in  
altera exaltari cupimus.

C Ad

*Humilitas  
sectanda.*

*Luc. 14.*

*Luc. 1.*



Misericor-  
dia proxi-  
mis impen-  
denda.

Matth. 18.

Iac. 2.

Ad id verò quod attinet vt mise-  
ricordiam proximis exhibeamus,  
illisque cum nos offenderint liben-  
ter ignoscamus, hoc adeò necessari-  
um est, vt sine illo misericordiam  
DEI sperare non possimus, sed e-  
ius potius iustitiam formidare. Sal-  
uator noster id indicat parabola Pa-  
trifamilias, qui seruum cui ingens  
debitum ipse dimiserat, nulla con-  
serui sui dilationem postulantis cõ-  
miseratione permotum, in carcerẽ  
conijci, atq; ab eo totius debiti sum-  
mam vsq; ad nouissimum quadran-  
tẽ repeti iussit: hanc enim ita conclu-  
dit, vt affirmet Patrem cœlestem nõ  
aliter nobiscum facturum, nisi remi-  
serimus vnusquisq; fratri de cordib;  
nostris. Quod S. Iacobus Apostolus  
corroborat cum ait: *Iudicium sine mi-  
sericordia fiet ei qui nõ facit misericor-  
diã.* Hæc digna sunt, quæ semper me-  
moriam conferuentur, atque idcirco  
prospice tibi anima Christiana, ne  
horũ vnquã obliuiscaris. Enitere po-  
tius vt ea in omni, quæ se tibi osten-  
derit, occasione, in opus cõferas. *Di-  
mitte & dimittetur tibi.* hoc. n. præce

pto Christus non modò Petrum discipulum atq; apostolũ suum cui loquebatur, sed oēs fideles obligatos esse voluit. Denique gratias immortales age B. Virgini, quod se dignam portam reddiderit, per quã DE I Filius mundum ingrederetur, atq; cõsidera deinde quomodo eadem sit porta animas coelum introducens.

*Beatissimam virginem MARIAM accessum nobis præbere ad DEVM, & dispertiri nobis dona cœlestia.*

SANCTI omnes siue Angeli, siue homines portæ cœli dici possunt, quia tũ per salutaria præcepta, institutiones, & admonitiones, tum per orationes suas & merita ad DEVM nos adducunt. Angeli in sacris literis nominantur *administratores spiritus in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Sancti appellantur *lux mundi.* Quod si hanc proprietatem in Angelis & Sanctis agnoscimus, multò magis eam in B. Virgine MARIA debemus agnoscere, quãdoquidem illa hæc omnia longè præcæteris tũ angelis tũ sanctis excellentius & pfectius efficit, C 2 Nam

Heb. 1.

Matt. 5.

B. Virgini

li porta pro

pter instru-

ctionem &

exemplum.